
REGIA SENTENTIA LATA IN REGIO SENATV

Valentino, in fauorem Domus & Monasterij B. Virginis Mariæ de las Fuentes Ordinis Cartusiensis, super successione Baroniæ de Parcent, & locorum illius, cōtra Seraphinū Catala, & Collegium Societatis Iesu Ciuitatis Calataiubi Regni Aragonum.





ATTENTO quod per Sindicum, seu æconomum Conuentus, & Monasterij Beatissimæ Virginis Mariæ de las Fuentes, Ordinis Cartusiensis, siti in termino villæ de Sariñena, Diœcesis Osquensis, Regni Aragonum, cum supplicatione oblata, die 19. Aprilis, 1605. tam in nomine proprio, quā cessionario Domnæ Yolantis Pereandreu, Roda, & de Reyner, versus, & contra Beatricem Annā Abat, & de Catala, detentricem, & possessorem, loci & Baroniæ de Parcent, necnon locorum de Bernisa, & Benigembla, eiusdem Baroniæ in præsenti Valentiæ Regno sitorum, petitionem instituit, qua dicta loca cum omnibus eorum iuribus, iurisdictione, & alijs pertinentijs, necnon cum fructibus perceptis, & qui percipi potuerunt, virtute vinculi appositi in vltimo testamento, Petri de Pereandreu quondam militis, & præfactæ Baroniæ & locorum domini, sibi adiudicari petijt, dictamq; Beatricem Annam Abat, ad illa relaxanda, restituenda, ac soluenda, condemnari supplicauit, quæ causa prosecuta fuit contra domnam Elisabetam Ferrer & de Catala, & Peregrinum Catala vti curatorem Seraphini Catala dictæ Baroniæ & locorum possessorem, cui petitioni & demandæ cum supplicatione oblata die. 25. mensis Ianuarij 1607. Sindicus & Procurator Collegij societatis Iesu, ciuitatis de Calatayut, eiusdem Aragonum Regni se immiscuit, & tam dictæ immiscuitionis beneficio, quę alterius petitionis, & demandę, per illum die 13. Septembris 1604. intentatę, pręfata loca, & Baroniam sibi, seu dicto Collegio, & non dicto Cōuentui Cartusieñ. adiudicari, tradiq; virtute instrumentorum confectorum, inter domnam Margaritam Pereandreu & de Roda, monialem, postea professam Monasterij de Hierusalem ordinis sanctæ Clarę ex vna, & don Petrū Ioannem de Pereandreu ex altera, sub die 21. Martij 1580. & aliorum in dicta petitione & demanda contentorum postulauit. Et animaduerso quod meritis, tam præsentis quam aliorum inter dictas partes processuum documentisq; eorum constat, Petrum de Pereandreu antiquiorem, dominus qui dicebatur de Parcent, suo vltimo elogio in ciuitate Algerij confecto, propriaq; illius manu scripto, ac sigillato die 28. mensis Februarij, anni 1533. & ad hanc

hanc ciuitatẽ Valentię transmisso,& Guillermo Raymundo Florença Not. tradito,seu penes illum deposito,& comendato, per illumq; die 24. mensis Maij 1544. publicato,per diuersas Regias sententias,& omnes illius successores aprobato,constat & liquido apparet,pręfactum Petrũ de Pereandreu testatorem,heredem suam vniuersalem Margaritã Roda, & de Pereandreu eiusdem consortem instituisse,donec & quousq; Ioannes de Pereandreu dictorum coniugum filius maior,& primogenitus,ad ętatem triginta annorũ peruenisset,& nonnullis institutionibus,& substitutionibus inter eius filios, & nepotes factis,vocando semper vnum, per viam primogenituræ, cum delatione nominis & armorum de Pereandreu,& prohibitione expressa aliena tionis dictę Baroniæ,tandem voluit,& disposuit quod dictum vinculum duraret,& seruaretur tandiu & tanto tempore, quamdiu descendentes illius, tam lineæ masculinæ,quam fœmininę durarent & remanerent,vocãdo omnes dictos descendentes in infinitum,modo supradicto. Et si casus eueniret, quod omnis descendentia illius,tam masculina, quam fœminina deficeret, voluit & disposuit,ac expresse ordinauit,quod dicta Baronia de Parcent esset vinculata,ac perueniret dicto Monasterio de las Fuentes Ordinis Cartu siensis,cum hoc quod esset dictę Religionis, prohibendo dicto Monasterio alienationem dictæ Baronię in perpetuum, vt deseruiat alimentis dicti Monesterij,prout latius in dicto testamento cõtinetur. Perpenso insuper, quod meritis dictorum processuum,diligenter & exacte examinatis constat, dõnam Yolantem Pereandreu,Roda & de Reyner,cuius iura dictus Conuentus de las Fuentes cessa habet,& exercet,esse filiam naturalem Petri de Pereandreu iunioris,& ita neptem pręfati Petri de Pereandreu testatoris, & vinculatoris,nullumq; alium descendentem illius preter dictam Yolantem existere,aut remanere. Licet enim super illius filiatione,& naturalitate,multa hinc inde,pro & contra deducta,probata,& allegata fuere,omnibus tamẽ illis diligenter excussis,& examinatis satis sufficienter cõstat,& apparet,illã filiam naturalẽ,ex dicto Petro de Pereandreu soluto,& Catherina Batifferro & de Conterin vidua,natam & procreatam fuisse, & per cõsequens in viam juris,& maxime attentis foris huius Regni, in dicto vinculo, & generali ac vniuersali vocatione omnium descendentium, dicti testatoris, non dato alio descendente legitimo & naturali comprehensam: Præmaximè cum in dicto vinculo,& fideicomisso,nulla ratio cõseruande agnationis,nec fauoris illius habita videatur. Quibus ita se habentibus, dicendum est, quod nec Margarita de Roda postea monialis, in fauorem dictæ Societatis de Iesus, aut alias,nec don Petrus Ioan de Pereandreu (qui tam iure dicti vinculi, vt descendens prelibabi testatoris,quàm iure donationis eiusdem Margaritę,præfatam Baroniam assecutus fuit) in fauorem Christophori Catala aliquid super dicta Baronia disponere potuerunt. Cum nec dictum Collegium Societatis Iesus,nec dictus Christophorus Catala, de descendentibus dicti Petri de Pereandreu testatoris sint. Nec in eis stante dicto vinculo & prohibitione expressa,dispositio aliqua fieri potuit. Attento præterea quod & si de filiatione naturali,& vocatione dictæ Yolantis æsitari posset, dictus conuentu-

tus & monasterium, vocatione expressa & specifica, indicto vinculo, & fidei comisso, per testatorem facta, admitti deberet, & debet, cum pleno constet nullum alium descendentem, præter dictam Yolantem, nec tempore mortis naturalis dictæ monialis Margaritæ (*quod inspici, & attendi debet*) neque ad presens remanere, & ita foret locus vltimæ vocationis dictæ causæ piæ, ipsamq; domum, & conuentum de las Fuentes, esse dictæ Ordinis, & Religionis Cartusiensis, habereq; facultatem, & licentiam Regiam, in processu presentatam, & exhibitam, possidendi dictam Baroniam, non obstantibus foris huius Regni, prohibentibus, Monasteria & loca Religiosa, bona similia de Realenço possidere. Demum considerato, quod & si pro parte dictæ Beatricis Anæ Catala, seu curatoris dicti Seraphini Catala, pretensum fuerit predictum Petrum de Pereandreu testatorem, potius eius agnatos, in defectum suorum descendentium, quam causam piam dictæ domus, & Monasterij de las Fuentes vocare voluisse, & vinculo, & fideicomisso, per illum in eodem met testamento, circa domum villæ de Casp ordinato, & instituto, cum fideicomissum, & vinculum respectu dictæ domus de Casp expresse facere dixit, cum ipsismet vinculis, & cōditionibus in dicta Baronia de Parcent apositis; constetq; dictam Beatricem Annam Catala, & nunc dictum Seraphinum Catala illius nepotem, esse præfati testatoris consanguineum, descendentemq; illius sororis, vocariq; Catala de Pereandreu, & in perpetuum voluit dictam domum remanere vinculatam propinquioribus testatoris, ac nominis de Pereandreu, ex quibus enixam dicti testatoris voluntatē, erga illius consanguineos & parentelam aparere dicit, & per consequens omnes illos, & ita dictum Seraphinum Catala, preferendum esse, dictæ causę pię Monastorij de las Fuentes contendat, locumque non esse vocationis dictę causæ piæ, nisi in defectum omnium consanguineorum. Animaduerso tamē quod stante clara, indiuidua, & specifica dispositione, super dicto loco, & Baronia de Parcent, suos descentes, vnum post alium vocando, & eis defficientibus, prefatam causam piam Monasterij de las Fuentes, nulla ratione admitti potest, interpretatio quæsumi pretenditur ex dicto altero vinculo domus de Casp, in separata clausula facta, separatamq, distinctam, ac diuersam vocationem, & substitutionem habentem. Attento Deniq;, quod cetera deducta & allegata, pro parte tam dictæ Beatricis Annæ Abat, & de Catala, seu Curatoris dicti Seraphini Catala rei conuenti, & possessoris: quam sindici dicti Collegij Societatis Iesus, ciuitus de Calatayut, non sunt talia, quæ intentionem dicti sindici domus & Conuentus de las Fuentes, aliquo modo repellant, aut elidant, imo ex omnibus supradictis, & alijs meritis processus, & processuum, illa remanet fundata. Id circo & alias, deliberationem & conclusionem in Regio Consilio factam insequendo, pronuntiamus & declaramus, quod habita pro repulsa immiscuitione, nec non petitione, positis per dictum sindicum Collegij Societatis Iesus ciuitus de Calatayut, tanquā non subsistentes; nec iure fundatas. Dictumq; Seraphinum Catala, seu Peregrinū Catala illis curatorem, iniustum detentorem, & possessorem dictæ Baroniæ de Parcent, & locorum illius, condemnandum fore, pro vt cum hac Regia

Senati

Sentẽtia eũ condemnamus, ad restituendam, & relaxandam, vacuam, & expeditam possessionem, dictæ Baroniæ de Parcent, locorum, terminorum, Iurisdictionis, ac pertinentiarum illorum, dicto Monasterio de las Fuentes, seu illius sindico, vna cum fructibus perceptis à die motæ litis. Non obstantibus quibuscunq; in contrarium pretensis, & allegatis, & nullam ex partibus in expensis condemnamus. *Real Regens.*

Vidit Sisternes. Vidit Leo.

Vidit Mayor. Vidit Roig.

Publicata fuit hæc Regia sentencia per Franciscum Paulum Alreus Regium scribã mandati, die octauo mensis Iulij Anno millessimo sexcentessimo dezimo, Valentiæ.